




1. Bock / Friderici Samuelis / Diss. De Notione Immensitatis Dei amplificanda Com^o n^o contemplatione magnitudinis Mundi, Regionenti 1766. Autor G. C. Rerowd.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan^o gelium Genesios Cup: III Versh. XV. Helm^o Stad^o 1763.
3. Boekmer / D. philip Adolph^o / programma, De Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ————— programma, addita est illustratio addita est illustratio loci 1 Corinthi XV, vers, 51, Halle 1766.
5. ————— programma in Commentationem ad Illustrationem Autorum Apostolorum, 1766.
6. Büchner / D. Andreæ Elie: / programma in diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh: Tob: / programma paracliti Appellatione Spiritui Sancto tributa, Halle 1764.

ARCHAEOLOGIAE
 SACRAE
 VARIIS DISQUISITIONIBVS
 EX ITINERE ORIENTALI ILLV-
 STRANDAE
 DISSERTATIO PRAELIMINARIS
 INDVLTV
*AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILO-
 SOPHICAE*
 IN REGIA FRIDERICIANA
 TRADITA
 A
 STEPHANO SCHVLZIO
 PHILOSOPHIAE MAGISTRO
 ET VERBI DIVINI MINISTRO.

HALAE
 IMPENSIS INSTITVTI IVDAICO-
 ORIENTALIS.

d. i. Stephan Schürtz

AK



§. I.



Non dubito, fore quosdam, qui mirentur, quod ego, qui dimidium termini vitae humanae, multis abhinc seculis iam statuti, transgressus sum, nunc demum edendo specimine Academico in orbem litterarium prodeam. Plane fateor, alia ab ineunte aetate iuuenili vsque ad annum 1758. aetatis meae quadragesimum quartum, fuere mea consilia, mea proposita. Summo flagraui desiderio itinera ad promouendam Saluatoris nostri cognitionem inter exteris gentes faciendi. Nec vanum fuisse hoc aut ex iuuenili impetu profectum propositum; exinde mihi aliisque innotuit, quod desiderio hoc ita potitus fuerim, vt Europam, Asiam & Africam ex parte peragrauerim, nec a praefixo

A 2

scopo,

scopo, quae Dei est gratia, aberrauerim. Non mihi, sed Deo haec, simplici animo feci, ab inclarescendi studio alienissimus, licet in ipsis his itineribus viris eruditis ignotus plane manere minime potuerim. Sermonibus potius, quam scriptis docere intentioni meae conueniebat, multo minus his innotescere desiderabam, licet quaedam ad scopum praefixum pertinentia elaboranda mihi fuerint, nondum omnia prelo permixta, aliis vero sine nomine meo editis. Amicis me hortantibus, ut specimina ederem litteraria, Salomoneo illo: *des Bücherschreibens ist kein Ende*, respondere solitus fui: non, quod omnem spernerem scriptorem, sed, quod, si non plane nulla, pauca tamen, quae non antea fuissent scripta, a me in publicum posse prodire, mihi viderentur. Haec mihi stetit sententia, ex quo, ante viginti circiter annos, a munere docendi publico, cui a praeceptoribus meis in Academia Regiomontana destinabar, auocatus, Instituto Iudaico, quod adhuc, dum, auctore et tutore Deo ter optimo maximo, continuatur, admo-uerer. Hanc vocationem eo facilius aliis praetuli, quo magis illam ad dictum studiorum meorum scopum pertinere posse, existimaui. Ex studio periodeutico, prouida summi Gubernatoris

toris beneuolentia, in stationem ecclesiasticam Halae, vbi Academia Fridericiana & his turbulentis temporibus floret, constitutus; plane contentus fuisssem, si ad praeparandos successores periodeutas, praeter munera ministerialia sat ampla, studiosis lectiones priuatissimas in linguis: Hebraica, Arabica, Turcica, Iudaico-germanica dare potuisssem; (vt mihi antea hyeme hic aliquando commoranti moris erat.) Sed patronorum cohortationibus, inter quos et illi erant, quorum consilia mandatorum loco veneror, et precibus amicorum me adigi passus sum, vt labores academicos huc vsque priuatissimos magis in publicos permutarem; vt autem hoc secundum statuta academica fieret, gradum Magisterii a Philosophorum amplissimo ordine legitime & summa cum beneuolentia collatum, animo gratissimo suscepi, quem disputationibus publicis tueri, meum esse duxi. Hanc itaque dissertationem reliquis bono cum Deo suo tempore edendis, praemitto.

§. II.

Thema mihi non erat e longinquo studiose exquirendum, quod scopo meo adaequatum esset, nec vtilitate sua careret; quotidianum sacrae

Scripturae studium, vitae genus per viginti annos transactum, peragratio orientalium quarundam regionum, conuersatio cum incolis non desultoria, magis familiares mihi factae linguae, plurimas mihi suppeditarunt occasiones, ex illis, quae ipse vidi, expertus sum, et inquisiui, haud pauca ad illustrationem sacrae Scripturae conferendi. Hoc ipso ab aliis in hoc genere iam allata, partim confirmanda, et vberius deducenda, partim emendanda esse, cognoui. Constitui itaque apud animum obseruationes ad Archaeologiam sacram pertinentes in itineribus meis orientalibus collectas, ad ductum locorum quorundam Scripturae sacrae, hoc respectu classicorum, successu temporis edere, et his dissertationem hanc praeliminarem praemittere.

§. III.

Ad Archaeologiam sacram, siue inquisitionem antiquitatum ad sacram Scripturam pertinentium, chronologiae sacrae et Synchronismi, historiae sacrae atque profanae, Geographiae, gentium et morum, qui inter illas obtinuerunt, atque linguarum notitia referri solet. Nos vero ad priora momenta pro
scopo

scopo nostro proxime attendere non possumus, sed occupabimur circa quaedam, quae mihi ad notitiam Geographiae sacrae gentium et linguarum pertinentia, innotuerunt. a)

§. IV.

Geographia sacra describit situm locorum in sacra Scriptura occurrentium, scilicet confinia continentis et maris, lacus, montes, vales

- a) Archaeologia in genere et cuiuscunque gentis aut regni in specie fuerit, eo obscurior est vtiq̄ue, quo magis illa tempora a nostris sunt remota. Illustrationes petuntur vbique ex vetustissimis monumentis, quae aetatem tulerunt, monetis, inscriptionibus, scriptis coaetaneis aliisque quorum collatione tantum, quantum fieri potest luminis affundimus rebus antiquissimis, vt ea praesentia nobis quasi sistamus. Millenaria annorum effluerunt, ex quo sacri Codicis scripta consignata sunt. Multi iique doctissimi viri non sine insigni fructu desudarunt in illis studiose conquirendis et critico acumine discernendis, diiudicandis, applicandis, quae antiquitas ad antiquitatum sacrarum illustrationem suppeditat subsidia. Haec non in praesentiarum meo conueniunt scopo. Tot in Oriente adhuc hodie praesentia reperiuntur nouantiqua, vt debita cum attentioe orientales regiones perlustrans multa vel antiquissima habeat praesentia.

les et colles, planities, speluncas, b) fontes, riuulos, flumina, soli conditionem respectu fertilitatis, eorum, quae sponte nascuntur, studioque humano coluntur, et tandem animalia indigena. Iam vero ex historia notum est, superficiem naturalem per terrae motus, montes igniuomos, inundationes, aliosque casus, hodie multis in locis distare a facie antiqua. Eiusmodi mutationes circa geographiam sacram minus sunt frequentes; ita ut asserere certo possumus, Palaestinam eiusque confinia in eodem antiquo statu adhuc existere.

§. V.

Neque ea, quae studio humano in his regionibus ex antiquissimis temporibus constituta
et

- b) Amos IX, 2. vbi cacumen montis *Carmel* ad sese occultandum idoneum describitur, qua de re cogitandum esset, quam ob causam hoc loco non potius mons *Libanon* aut alia montana sit denominata regio. Adhaec valet responsio, me, quantum montes Iudaeae, Galilaeae, Tyri et Sydonis ac etiam montem *Libanon* peragraui, nullibi tot speluncas petrosas tam angustos habentes aditus innenisse, quam in monte *Carmel*, vbi quaesitus vestiganti si modo circiter decem passus ab eo remotus est, effugere, seque abscondere potest.

et aedificata sunt, omittere possumus, vti vrbes, moenia, portas, pallatia, cisternas, aquam vivam, seu e terra promanantem vel aquae pluviae collectionem continentes, atque piscinas. c) Alia sunt quoque in solido lapide insculpta et incisa atque excavata. d) Alia sunt ex solida rupe excisa, exteriore rupis mole in adaequatam figuram, ita, vt solidum saxum ope lapididarum et sculptorum (Steinmehen- und Bildhauer-Arbeit) efformatum fuerit in monumentum aere

B

peren-

c) piscinas hebr. **בֵּית** Arab. dictas artefactas hic putamus, scilicet quas effodi, lapidibus lastricari et eisdem circumcingi curarunt, ut habes Salomoneas, ad fontem praecclusum Hebronem inter et Bethlehemum.

Cisternae vero ad hauriendam aquam inserviunt, sunt vel rotundae vel quadratae formae, illae putei nostri ad instar arabibus **كاس** dictae, haec vero **حوض** aut **بئر** hebr. **בֵּית** vel **בַּר** nominatae, ad quas haurientes aquam per scalas descendunt.

d) ut sunt sepulturae prophetarum in monte Oliueti, regum ante portas septentrionales urbis Hierosolymorum, quas, Claustrum, vel regium habitaculum subterraneum per porticus et cameras divisum esse crederes.

perennius e). Alia autem ex apte conformatis rupium molibus ingentibus sibi superimpositis, eleganter tamen elaboratis sunt constructa. f) Multa ita hodie determinata et cognita sunt, vt quaedam adhuc integra existant; alia ex parte g) minus, vel magis h) destructa, ita tamen, vt antiqua facies dignosci et locus determinari sine omni dubio queat. Alia vero quamuis destructa ex ruderibus et aliis circumstantibus rebus certe colligi possunt, hoc in loco fuisse.

§. VI.

e) v. gr. monumentum sepulturae Zachariae et pedestallum monumenti Absolomi.

f) Monumentum Absolomi in valle regia cuius rationem exstructionis a Sam. XVIII, 18 legimus אבשלום dicta basis sive pedestallum eius non loco mota sed tantum ut sepulcrum Zachariae in forma quadrata exteriore rupis mole circumcisa; huic imposta est columna in forma (eines Zuckerhuts.)

Cuius superficies campanae figuram habet quae num fuerit imposta columnae, an vero sit ejusdem molis non accurate perspicere potui.

g) iam nominatae, scilicet sepulturae, monumenta, piscinae et alia.

h) ut Tyrus eiusque portus, oppidum Acco atque portus eius etc.

§. VI.

Ad dictorum monumentorum cognitionem multum facit studium Helenae in i) illis restaurandis et cura Muhammedanorum, in conseruandis, qui acriter prohibent, ullius monumenti destructionem, ita ut excisio, immo laesio oleae in oliueto, cedri in Libano, sub poena grauissima sit prohibita.

§. VII.

Quod ad soli conditionem pertinet, fertilitatem in Palaestina ubique reperies; immo ad quodcunque te fert appetitus, abi in terram sanctam; quaeris poma, habes Hierosolymitana et Damascena famosissima, abundant hae regiones pistaciis, k) amygdalis, malis per-

B 2

ficis,

- i) quae in loco nativitatis, Bethlehemi, educationis, Nazarethae; mortis, Hierosolymis, ascensionis Messiae J. C. in monte Oliveti: et multis aliis in locis magna exstrui curauit templa, quorum plurima in suo esse videre est.
- k) quem fructum, eiusque arborem sola quidem Urbs Aleppo sibi vindicare solet, quod vel negare vel affirmare nostrum nunc non esse sentio, hoc tamen certum est, fructum hunc nucibus et fere amygdalis,

ficis, Müfchemüfch, aurantiis, citriis, granatis, ficu, oliua, uuis et reliqua. Dantur (Battiach) Pepones, Cucumeres, Melones. Habes pifa, fabas, lentes, variis speciebus; ne pane deftitatus fis datur triticum non sane infimae fortis l). Nec non ulro vel fponte natis delectaberis, fcilicet videbis m) cedrum, cupreffum, palmam, pinum, unde die Pienechen in den Potagen, quercum, fycomoron, caftaneam, ceratium چرب (Charub), oleam fylueftrem ad ripam Iordanis maxime natam, Myrtum et reliqua.

§. VIII.

dalis, fapore et efficacia praestantiorum, non Alepianos folum fed et Damascenos, Hierofolymitanos, Smirniotas, et Constantinopolitanos menfis fuis cum aliis fruñibus apponere folitos effe.

- l) fed caue ne vulgo dictum türkiſch Korn hic deſcriptum putes, fed nobis notum triticum de quo noſtram ſimilam, Aſchfuchen Miſchbrödechen et Franzbrodt coquimus.
- m) cuius hiftoriam optime tradidit vir doctus C. J. Trew. Conſil. Norimbergae 1757. ubi circa delineationem totius arboris chalcographus, forte eſſet monendus, fed conſi eiusque anathomia eſt accurata.

§. VIII.

Pergimus ad animalia, quorum frequens in sacra scriptura fit mentio, ut sunt leones, Tigres, Lupi, Vulpes, et כִּיָּו Chacâl n), canes, equi, muli, asini, cameli, dromedarii, cerui, גַּחַלִּים Ghafal o) et armenta iumentaue domestica. Aquilae et alia volatilia fera, eaque vel rapacia, vel pro cibo inferuientia et domestica, aper, ferae et domesticae, scorpionies, angues et hoc genus alia.

§. IX.

Hinc satis colligi potest, terram Israelitis promissam fertilem, melle et lacte abundantem, talem hodie esse, qualis tempore erat promissionis, quae abundantia, dum a populo Dei possidebatur cultura et benedictione Dei adaucta magis eminebat.

B 3

§. X.

n) Hylax animal ex lupo et cane natum frequentissimum Perfice شغال
quod respondet שועל

o) hinnulus dorcadis; pullus. Oculis iucundissimum Palatoque perquam sapidissimum animal.

§. X.

Habemus etiam circa gentes quaedam consideranda, quarum si victum, amictum, mores et linguas contemplaris, illas in statu antiquissimo ad hunc hodie reperies. Miraberis forte lector germane, tuam opponendo experientiam a moribus tuae gentis desumptam, cuius victus amictusque, mores et linguae, tantum ab antiquis differunt, quantum a tempore distant. Sed scito, plane aliam esse Orientalium indolem, quippe, qui antiquarum consuetudinum sunt tenacissimi. Ratio est in promptu, minus solent extra natale solum diuagari, nec tot inter eos commorantur extranei, quos vix ac ne vix quidem in suas familias adoptant.

§. XI.

Arabes quidem more Patriarcharum vitam agunt peregrinatoriam, sed hae peregrinationis suis limitibus ita est circumscripta, ut si Bedauinum p) videris ex patriarchis, Abrahamum, Isaa-

p) hoc nomine Arab. *بدويني* genuini Arabes, de quibus hic sermo est sese distinctos esse volunt, 1) ab iis qui relictis tentoriis, rerram colunt,

Isaacum, Iacobum, Ismaelem te vidisse putares q). Ne Iudaei quidem, licet extorres et exules, a moribus patriis ita defueverunt, ut antiquitas in illis dignosci non possit.

§. XII.

colunt, urbes oppida pagosque habitant atque religionem Muhammedanam quam hi maxime horrent amplexi sunt.

a) ab iis, qui etiam interdum a peregrinis Arabes vocantur, quos illi, et nationales incolae, **نوار** (Nauwâr) appellant vel **كرد** Curdanos in scriptura sacra **קרדי** dicti.

- q) qui quamvis bella interdum gesserunt, nullo modo tamen ex rapinis victum quaesiverunt ita et hodie Arabes Badawini ex camelorum equorum et ovium venditione vivunt, bella interdum sed acquisita gerunt magis offensi ab aliis se defendunt, quam ut ob leuiusculam causam alios offendant. Plane nullam cum Kedarinis tanquam vagabundis rem habentes; horum scilicet Bedaw. benevolentiam erga me peregrinum illorum (scilicet Khurdarum) insultus pluribus in itinere meo suo tempore edendo describam. Unicum hic quasi in antecessum addere lubet: Saltatio ouium certe mos est antiquissimus quem inter Arabes Bedauinos obtinere comperi; nimirum si amicum, vel sui similem, magis vero se superiorem extraordinario quodam honore excipiunt, pastores gregum convocantur qui cum
musicis

§. XII.

Quum igitur in itinere meo orientali archipelagum, vicinasque ei Asiae et Africae partes lustrauerim, loca inuestigauerim, cum incolis in linguis ipsis vernaculis conuersatus fuerim, et omnia haec, quantum potui, ad sacram scripturam retulerim; archaeologicae obseruationes meae in loca sacrae scripturae in posterum bono cum Deo edendae ipsa experientia et autopsia erunt fundatae. Vale.

musicis instrumentis praecunt; quos ordine, et corporis motione accurate et apte saltantes, sequuntur; hinc desumpta est similitudo in Psalmo CXIV, 4. Montes arietum, colles oue natorum ritu exiliverunt. Quid tibi acciderat mare ut fugeres? quid tibi, Iordanis, ut retrocederes,

Quid vobis, montes ut arietum, quid vobis colles, ut oue natorum ritu exiliretis? Resp. Ad Domini praesentiam, ad Dei Iacoborum praesentiam etc.



AP.

Appendicis loco

breuem itineris facti in Turciam anno 1752 vsque
ad annum 1756. narrationem germanice 1756.
editam hic sermone latino addere
lubet.

Psalms CXXIV, v. 8.



Auxilium nostrum positum in nomine Domini,
qui coelum et terram produxit. Verbo illo,
NOSTRUM, Spiritus Dei ad quacuvis vera Ec-
clesiae Christi membra respicit, cum singu-
lum quemque fidelium ita loquentem indu-
cat Dauides Ps. CXXI, 2. Fixam habeo salu-
tem meam in nomine Domini, qui coelum terramque creauit.

Quod quidem auxilium superstructum nomine diuino,
plus vice simplici, itineribus, quae huc vsque per Euro-
pam suscepi, expertus ego sum; semper enim eadem ita se-
cundauit gratia diuina, vt in omnibus terrae nostrae regio-
nibus, quascunq; penetrare licuerit, Iudaicis verbum de re-
concilianda gratia sit ante oculos positum. Quum uero prae-
positus Instituti Iudaici finis etiam requirat, vt omni populo
Iudaico siue per Europam, siue per Asiam, Africam
et Americam disperso, annunciarentur pacis consilia; quin-
que abhinc annis, Orientis regiones peragraré, constitutum
est. Id quod propositum fauente clementia diuina impletum est,
ita vt comitante socio meo Domino A. F. Woltersdorffio anno
1752. quinto Nonarum Maii supra iam dicta Psalmi CXXIV.
et CXXI. verba meditatus, iter in Orientem aggressus sim.

Halam relinquentes, viam carpsimus per *Ienam*, *Cobur-
gum*, *Bambergam*, *Norimbergam*, et *Ratisbonam* perueni-
mus. Hic nos credentes *Danubio* flumini, *Passouiam* et sic
porro *Viennam* aduecti sumus. Vbi discessi, visitauimus
Graicum et *Veuetias*, et *Anconam* propinquauimus.

C

Hic

Hic naui *Batauica* mari *Adriatico* ventis vexati, nunc ad Illyrica, nunc ad Italica ora appullimus. *Brundusi* acrior procella nos in portum propulsauit, duobus tamen intermissis diebus, ventis vela dantes in *Archipelagum* fumus deducti. In portum ad *Vaticam* oppidum *Macedoniae* iterum nos confugere iubebat tempestas, quae quidem ita furebat, vt in ipso portu, amissis nonnullis ancoris de saluanda vita nobis esset dubitandum, quam et aliae naues expertae sunt calamitatem. Quiescentibus ventis, paruo dierum spatio praerelapso, iter in *Archipelago* absoluimus et peruenimus in insulam quandam, quam Graeci incolunt, et *Mycone* appellatur. Commorati fumus ibidem per octo dies quia mercatores nonnulli huius insulae merces suas exponebant. Vtebatur iisdem, vt in naui, sic et in vrbe familiariter, qui quidem et nos cum reliquis incolis optime excipiebant. Porro *Chium* aduecti, benigno, licet non satis forti ventorum afflatu tandem *Smyrnam* attigimus, quam primum VII. Calend. Decembr. eiusdem anni 1752. conspeximus; vergente vero die, eadem nocte in naui remansimus. Die tamen illucescente urbem petiimus; et sic salui incolumesque, quae Dei est gratia, in *Asiam* fumus recepti. Annumerata fuit et quondam ecclesia huius vrbis septem iis ecclesiis, quorum Episcopis Iesus epistolas suas pastorales, ministrante Iohanne dedicauit, Apoc. VI, 8. et vnica illa inter reliquas sex, vel plane euersas, saltim de statu deiectas, adhuc floret.

Hic nos a Consulibus, mercatoribus, caeterisque Europaeis benigne excipiebamur. Trium hebdomadam praerelapsum erat spatium, ex quo naui Turcica per insulam *Tinodos*, transnauigantes *Dardanas*, *Constantinopolin* aduecti fumus, quo et XIII. Iduum Decembr. aduentauimus. Plus quatuor mensibus praesidio legatorum quorundam Europaeorum hic versantes, beneuolentiam ipsorum saepius experti fumus. Cura legati regis Sueciae Imperator Turciae saluum Conductum nobis concedebat quo munito, *Smyrnam* naui Turcica renauigauimus. Sex intermissis hebdomadibus, viam

viam nostram fleximus per *Stanckium* (alias *Co* dictum. Aetor. XXIII.) et *Alexandriam* in *Aegyptum*; penetrauimus etiam urbem *Raschir*. Nauigauius deinde in brachio Nili ad Occidentem effluente, *Heliopolin*, (*Alcair*) et reuertentes ea parte, qua se ad meridiem effundit, *Damiatam* peruenimus. In *Aegypto* per quinque menses commorati, *Cyprum* et *Alexandrettam* reuersi sumus, *Orontem* transiimus, et relicta *Antiochia* in urbem celeberrimam Syriae *Aleppo* venimus; qua in regione, fluminis nimirum et urbis, *Curdae*, gens, quae praedabunda has regiones circumuagatur, impetum in nos faciebant, quorum tamen manibus auxilio hominis Samaritani effugimus; ex hac regione discessimus ad fines Euphratis, regionis *Mesopotamiae*; dicta vrbe *Aleppo*: prouecti, *Lattakiam*, seu *Laodicaceam* Syriae, vbi diuina potentia nouum curdarum impetum a nobis auertit, porro *Ioppen* accessimus vsque dum per *Arimathiam* *Hierosolymas* peruenimus. Woltersdorffium aduersa valetudo in urbe retinebat, ego vero immixtus societati peregrinantium, periculosa molestaque via iter faciens Ierichuntem iuxta Iordanem, usque ad mare mortuum, *Bethlehemum*, et alia *Indaeae* loca progressus sum. Sex adhinc hebdomadibus discessi *Hierosolymis*, petiimus *Prolomaidem* alias *Acria* dictam, quae vrbs est ex aduerso cacuminis montis *Carmeli* sita in planitie, aspectu suauissima. Terminabat quondam haec vrbs fines tribus *Affer*, Iud. I, 31. olim a conditione regionis *Aceo* dicta: quare eandem etiam adhuc Arabes *Accar* و *ع* vocant. Equites a S. Ioanne dicti qui *Melitam* incolunt, *Acriam* seu (*St. Iean d'Acree*) eandem nuncupant. Campi ipsius attingunt planitiem *Esarelom*, montesque *Tyri* et *Sydonis*. Hic tumor altero pede Woltersdorffii, qui grauissimos dolores ipsi per nonnullos hebdomades excitauerat, amputabatur, id, quod Medici Hierosolymitani recusauerant; consul tamen regis Angliae *Dominus Richard Vsgate*, in domo sua curam ipsius gerebat. Interim ego montes, *Carmel*, *Gilboa* et *Thabor* pererrauim, nec minus regiones montanas *Tyri* et *Sydonis*, latos campos *Sabulonis*

et *Esdrelom*, vallem *Sichem*, porro *Nazareth*, *Tiberiadem*, *Canam Galilaeae*, *Nain* et *Bethuliam*, reliquasque vrbes visitau. In peragrandis hisce locis loca nonnulla S. S. magis mihi illustrata sunt vid. not. num. b. Verfatus ego sum hisce in regionibus, in primis *Ptolomaida*, vsque ad obitum *Woltersdorffii*, vbi multifariam nactus sum occasionem, inter omnis generis populos boni quid excitandi, in primis inter Arabes, quorum praefecti seu nobiles me in domibus suis exceperunt, et auide auscultarunt, recitabam enim iis saepius loca quaedam S. S. lingua Arabica, quibus annotationes quasdam ad commouendos eos adiciebam.

Humato socio meo, solus iter meum profectus sum *Damascum*, transiens *Beruthum*; ex hoc contuli me in montem *Libanon*, et porro *Tripolin* Syriae, visitau cacumina montis *Libani*, vbi cedri satis notae reperiuntur; dehinc *Sydonem* et *Tyrum* obiens, cursum meum *Ptolomaida* direxi. Iamque reuersus ego *Cyprum*, *Rhodum*, *Sataliam* et *Chium*. *Smyrnam* aduentanti, vbi quidem oratione publica habita discedens valedixi. Transnaugans *Archipelagum* praeterii *Ragusam* et *Triestem* et adueni Fiume; hinc porro tendens *Venetiarum*, per comitatum *Tirolensem Augustam Vindelicorum*, *Ratisbonam*, *Norimbergam* et *Lipsiam*, *Halam* tandem redii. Hic sanus saluusque d. XVII. Id. Oct. aduentau, itinere, plus bis mille millenariorum, et quinquennii fere spatio, confecto.

In omni hac itinere meorum serie hunc intendi finem primarium, praeter generaliores fines, quos supra commemorau, vt inquiratur, partim, num hisce in terris labores extendere liceat, partim quomodo sint aggrediendi? In quantum experientia hasce quaestiones exposuerit, relationes D. *Callenbergii* suo tempore docebant, quae etiam aliis quibusdam annotationibus illustrabuntur, vt haec relationum membra, vt equidem spero, descriptionem itineris in Orientem non inutilem continere possint, et forsitan hisce initium sit factum plurium eiusdem generis; si nimirum Domino, hancce non sine summo periculo, molestia, variisque tentationibus stratam viam, magis patefacere, et frequentiore aditum aperire, pro summa ipsius beneuolentia placuerit. Praeterea hoc satis firmum est: multum superesse laboris, eosque desiderari, qui eundem libenter subeant. Qui animo fidenti precari didicit, non se gnaescat precaturus, vt plures in messem suam Dominus emitat operarios. Ego vero ea spe nifus, fore, vt Dominus, qui me ex hoc tam diuturno itinere diuersis periculis mari terraque ereptum, reduxit; si porro me proficisci iubeat, socium mihi atque comitem, nutu suo diuino designatum, concessurus sit; vota mea Ecclesiae Dei iungo his verbis: Domine ne deneges operi manuum tuarum tutelam. Amen.

19 Dabam e Domo D. Callenbergii d. VII. Calend.
Decembr. MDC. CLVI.

Stephanus Schulzius.

78 L 1708


ULB Halle 3
002 390 507




Sb.

Fi. 100.







28

ARCHAEOLOGIAE
SACRAE
VARIIS DISQUISITIONIBVS
EX ITINERE ORIENTALI ILLV-
STRANDAE
DISSERTATIO PRAELIMINARIS

INDVLTV
*AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILO-
SOPHICAE*
IN REGIA FRIDERICIANA

TRADITA
A
STEPHANO SCHVLZIO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO
ET VERBI DIVINI MINISTRO.

HALAE
IMPENSIS INSTITVTI IYDAICO-
ORIENTALIS.